ADINATON EXEGETICUM.

Epilog. excurſ.

1. *Sub viri poteſtate eris.* Ut ſis potens, eris ſub mariti poteſtate.
2. *Sub viri poteſtate*; quia tibi uulla ſine poteſtate viri.
3. *Suberis*, & amore: non ut fallaci domineris ſervitute.
4. *Suberis*, ut non ſis ſub.
5. *Suberis*, ut rectè ſis.
6. *Suberis* etiam correptione dilectionis. Aliter non vel correpta corrigeris.
7. *Sub viri poteſtate*, & voluntate; quippequàm tua voluntas in poteſtate voluntatis viri.
8. *Sub viri poteſtate.* Si vir, dominare: aliter, ut vincas, fuge.
9. *Ipſe dominabitur*: ne qui ſubeſt, dominati dominetur.
10. *Dominabitur*: & eris *ſub poteſtate*; quippe ſervies ſervitute.
11. *Dominabitur*, in poteſtate qui dignus: in dignus vel in poteſtate nequaquã dominus
12. *Dominabitur* iuxta legem: ultrà vel potens non habebit poteſtatem.
13. *Dominabitur*, penes amoris ſtudium, ut habeat verè in poteſtate dominium.
14. *Dominabitur* dilectione, potentiore poteſtate.
15. *Dominabitur*, qui *præſto tibi*: ſi Dominus tibi præſto.
16. *Dominabitur & præſto tibi.* Ut ſit præſto, ſubeſto poteſtati.
17. *Dominabitur.* Homo *Refugium* fœminæ: aliquando fœmina refugium hominum.
18. *Dominabitur.* Si *Refugium*, ergo exhibendum obſequium.
19. *Dominabitur tui*, ratione: & potiùs ratione, cum gratioſa veritate.
20. *Ipſe dominabitur tui.* Ipſe tui, ſi tú ipſius: imò gratia favoris, quantumvis iugum velis excutere poteſtatis.

DIDASCALIA PRIMA.

Fœmina multivola, & vaga.

Eurip.

1 INquit nec immeritò Euripides in *Electra.* Quia vaga, errat: & eſt vaga, quia multivola. Finxit Simonides in Carmin. de *Mulier. vitupe.* Fœminas alias formatas ex *Vulpe*, aſtutas, & vaſtas in ſtrophas: alias ex *Cane*, rabidas, rixoſas, mordaces, oblatrantes, ſed feſti as: alias ex *Aſina*, otioſas, & deſides: alias ex *Pica*, aut *Pſittaco*; ſciolas, & ſtultiloquaces: alias ex *Equa*, vehementiſsimè petulcas: alias ex *Simia*, ſtudioſè philocoſmas: alias ex *Ape*, operoſas, induſtrias. At cùm corpus apis exiguum ſit; raræ in hoc ſæculo videntur, quia ſervãtur his, quos Iupiter æquus amavit. Quid ſi fœminæ ex his omnibus fieret conſtructio? Infelix prorsùm homo: commorari leoni, & draconi placeret viro, uti gloria; quàm habitare vel momento cum illa.

Fabula pulchra de fœminaris origine. — *Simon.*

Plaut.

Neque lex (illarum) *in ſatietatibus.* Ait Plautus in *Aulular.* Act. 3. Scen. 5. Vide ad earum cultum, quantis ſtrophis conſtet mundus muliebris, apud Iſaiam cap. 3. In calceamentis Lunulæ; aptiùs ut rutilarent inſigne cerebri, apponerentur ſicut pendentes in fronte: Torques, Monilia, Armillæ, Mitræ Diſcriminalia, Periſcelidæ, Murenulæ, Olfatoriola, Inaures, Annuli, Gemmæ, Mutatoria, Paliola, Linteamina, Acus, Specula, Sindones, Vittæ, & Theriſtra. Quouſque fœminarũ corruptela? Multivole ſunt: modò hoc, modò illud, modò aliquid, modò nihil, modò omnia, modò ſic, modò non. Quid hoc animal? Vagatur, ut multa videat, & plura curioſè appetat.

Mundi muliebris quiſquilie, & irritamenta luxuria.

Sub viri poteſtate traditur mulier. Cur ergo quæ ſocia, poteſtati viri deſcribitur mancipata? Ut ſit ſocia. Si non ambulaverit ad manum, confundet virum: ac ut perſiſtat illibatum amoris flammeum; traditur ſub poteſtate viri: ſiquidem non ita valebit ad malum, ſub mariti poteſtate. Dum conceditur venia prodeundi, patet maritus dedecori: quapropter fœmina ne in opprobrium mariti ſit multivola; obſtet viri poteſtas, quòd nuſquàm oberret vaga. Gen. 3. 16.

Oberratio fœminæ dedecoris occaſio viri.

2 Ipſa à qua initium peccati, erit exempli Titulo lubricæ curioſitatis, & periculoſæ oblectationis; quid? Dicat Rupertus lib. 3. de *Trinitat.* cap. 2. *Non igitur ſerpèns in paradiſo fuit: ſed mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinenter de ambulat, fortè proſpectans, qualiter extra paradiſum mundus eſſet, locus diabolo datus eſt, & occaſio porrecta, unde tentaret Evam.* Serpentem vidit, & minimè exhorruit. Patet quanta laborabat fœmina malacià curioſitatis; ubi non Rup. Gen. 3. 1.

refugit (ut ſciat) converſationem ſerpentis. Abſconditur ergo blando ſermone ſupplantationis decipula, illicò ut mulier videtur corpore, & oculis vaga: quippe minimè daretur locus diabolo, ſi ipſa non vagaretur in paradiſo. Ampla domus erat: verùm contenta domi, mundus nequaquàm peribat: & è paradiſo oculis emiſsitijs egreditur, dum corpore incontinenter vagatur; minimi pendens, quòd periret mundus, modò cum illa loqueretur vel diabolus.

Haud daretur locus diabolo, ſi mulier non curſitaret in paradiſo.

Rupert.

Extra paradiſum erat ſerpens, ſed *Utpotè aſtutus dulcedini illius propius, & ambitioſus inhiabat*: ait idem ibid. Nequaquàm ingredi poterat in domum illius, quin illa expelleretur è domo. Allicitur, & pellicitur fictæ Deitatis illecebris, & ilicitur una ſpecie divinitatis: nullatenùſque cogitat ducta curioſitate, ſub velamine obſequij dæmonem ingredi. Vaga per vacuum voluptatis hortum deambulabat, ut cuncta videret, & videretur à cunctis: parvi momenti videbatur abs mariti oculis inſtantia curioſitatis; ſed innuit totius generis exitium, fœminarum cuſtodiæ quantum momentum: igitur ſi nullus alius forsàm obvius in via; cum dæmone loquetur facilis fœmina. Nec ſe cogitabat, cogitans virum abſentem, ſed duntaxàt quomodo vel ad horam impenderet libertatem: hoſtis callidus vidit, & triumphũ obtinuit, ut verſutè cogitavit: igitur locus opportunus datus eſt diabolo, protinus ut multivola diſceſſerat à marito. Ille habet mille nocendi artes, fœmina mille cupidinis.

Vel cum dæmone loquetur, ut loquatur.

Cenſus primæ fœminæ poſsident omnes hæreditatis iure. Quàm multæ domorum ruinæ ex fœminarum indulta curioſitate! Pullurarunt enim innumeræ amaritudines virorum, ex mulierum frequenti cogitatione dicentium: *Videamus, qualiter extra domus paradiſum, mundus ſe habeat? Experiamur, quid ſit mundus?* (Quid ſi fœmina venit Penelope, & abit Helene?) *Neſciemus ſemper quid in mundo novi?* (Quid ſi in ipſa inquiſitione perit?) *Aliquando non fas, ſcire extra domum, quid agitur extrà?* At ſi obvius dæmon? Loqueris cum dæmone? Loqueris. Etſi offert pomum? Accipies. Multivola es, & erudito, ac prompto palato liguritrix. Nos dicimus: *Antojadiza, y goloſa.* Haud cogito obliquo iudicio. Accipies, ut accipias, pomum vel à proco diabolo. Accipies pomum, quanvis odoraveris venenum. Non accipies, dum vaga quæris? Accipies in amicitiam dæmonium, & etiam facies conſentire virum. O veſanæ! Devorate elleborum, manducate naſturtium. Rectiùs, & commodiùs eſſet, pudorem ſervare intra domus parietes, quàm per plateas inquirere cognatæ lubricitatis occaſiones.

Soliloquia curioſitatis fœminarum.

3 Chriſtus tentari voluit, ut noſtras ſuis tentationibus vinceret. Omnis in illo diabolica tentatio foris, non intus fuit: in Eva verò foris, & intus; igitur facta, extrinſeca ſuggeſtione, delectatione, & conſenſu: de quo N. Gregorius Homil. 16. in *Evang.* Subit ergo mentem, inquirere: Cur Eva ſemel petita, tentationi ſuccubuit, & Chriſtum victorem in triplici conflictu inimicus agnovit? Promptè dicam. Dum Chriſtus eſurivit, *Acceſsit tentator.* Ubi Eva ſitivit divinitatem, acceſsit ad tentatorem. Mundi gloriam diabolus ante oculos Chriſti adduxit: fœmina vaga erronibus oculis cupiebat ſcire, qualis mundus extrà paradiſum eſſet: & Chriſtus etiam tertiò prævaluit in inimicum, dum illa flet, & nos flebimus callidioris hoſtis donum; quoniam tentatio inquiſivit Chriſtum uſque in ſolitudinem, & fœmina vaga vel in paradiſo quaſivit ex arrupto tentationem. Greg. Matth. 4. 3.

Qui periculum quærit, in illo peribit.

4 Scientiæ huius percitæ ſtimulo, domos alienas luſtrant, per vias volitant, & continuò curſitant, habitationem propriam indicantes mundum, nequaquàm domum. Fingunt plerunque cognatorum neceſsitatem, comitatis obligationem, & ſpecie ſalutationis, obſequij (multoties iactant auctoritatem viri) & nocuæ familiaritatis, diligunt & quærunt occaſionem criminis. *Declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*: ait Regius Pſaltes. Officio vel urbanitatis reſpondere, non eſt crimen, potiùs ergo obeunti confert ex merito laudem: cur enim illis, qui in obligationes declinantes, implent neceſsitudinis miniſterium, durum inferni fulminatur ſupplicium? Satiùs quidem declinarent, ſi nullatenùs implerent. Obligationes fœminæ vocant viſere cognatos, & non eſt aliud, niſi curſare per domos: audire quid luxui favet, & quæ illarum cultui magis ſtudet: cur illa habet? cur illa non habet? & alia huiuſmodi, quæ non licet homini loqui. Hæc, quæ dicuntur obligationis officia, ſunt ſcelera: quippe operantur uſquequaquè iniquitates, declinantes anxiè poſt obligationes. Omnium criminum artifices fœminæ, ac in mendacijs, & fraudibus genio magiſtro doctiſsimæ: nullum lapidem immotum relinquunt, ut pro aris, & focis voto potiantur: ac declinantes in huiuſmodi tricas, inferni patientur pœnas; quoniam agnoſcentes in obligationibus ſolùmodò obligationum rutilam ſpeciem, labuntur in criminis me- Pſalm. 124. 5.

Quæ dicunt fœminæ obligationis officia, ſunt ſcelera.

meditatam occaſionem. Alijs conſultò parco, quia fusè hìc. *Didaſc.*3.à num.13. & *D.* 8. num. 12. Quæcunque igitur ſtudet viri honori, & innatæ verecundiæ; ſuperſedeat occaſione.

5 Viri confuſio, & totius humani generis deſolatio, fuit colloquium illud feminæ primæ cum callidiore dracone. Hic vafrè dixit: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier*: (ſi reſpondet, cadet: haberet profectò triumphum, ſi non reſponderet verbum: fugeret proculdubiò ſerpentis importunitatem, ſi opportunitatem fugeret) *De fructu verò ligni, quòd eſt in medio paradiſi præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Quando latum hoc præceptum, quo tactui etiam noteſceret interdictum? *In quocunque die comederis, morte morieris*, præſcripſit lex. Ubi tactus inhibitio? In ipſomet ſanè interdicti decreto Comedendò fœmina, deficiebat à lege: tangendo, dedebatur occaſioni. Prohibentur ſimul diſcrimen, & crimen. Unde pomi interdicitur tactus, ubi inhibetur & guſtus; ſiquidem in tactu patebat intentum legis, ne fœmina exponeretur occaſioni tranſgreſsionis. Perpende. *Vidit igitur mulier, & tulit de fructu illius, & comedit. Vidit*: ut vidit, ut petijt.:: *Vidit*: nequaquàm de fructu tolleret, ſi non videret: igitur ſubterfugeret legis prævaricationem, modò avertiſſet à luminibus vagis curioſitatem. *Tulit, & comedit.* Comederet, ſi cupitè non tuliſſet? In manu verſabatur, quod pulchrum oculis pomum; & quaſi ludibrium cupedinis titillans liguritorem palatum. Quid mirum, quòd multivola fœmina frangeret legem, quæ ita ad manum habebat tranſgreſsionis occaſionem?

Aptè reſpodetur ſuggeſtioni, dum minimè reſpodetur.

Gen. 3. 3.

Simul Interdicūtur crimina, & illorum diſcrimina.

verſ.6.

Haud facile obſervat legē, qui ad manū habet tranſgreſsionis occaſionē

6 *Occaſio præceps* dicitur apud Hippocratem lib. 1. *Aphoriſm.* 1. iudicium in muliere difficile: & cùm appetat anxiè vaniſsimam libertatem, crinibus apprehendit præcipitem occaſionem: igitur in volubili, incōſtantique rota, neſcit, quando reverſura. Proh dolor! Commodè occaſionem apprehendunt; at cùm in rota fuerint, præcipitantur. Achilles Bocchius deſcribit *lib.3. ſymb.* 71. in *Occaſio*:

Occaſio præceps. Hippoc

O.nihil eſt.CC.bis centum nunciat, A.nil,
S.quintum, primum, I.rurſus & O.nihil eſt.
Principium nihil eſt: bis centum plurima, quinque
Non ſatis eſt: unus ſat. Venit inde nihil.
Et licet obſcura hæc videantur carmina; poſſunt,
Si benè perſpicies ſingula, clara loqui.

Deſcriptio elementorū nominis, Occaſio. Achil. Bocch.

Ille pingit lubricitatē occaſionis, ut vel comà teneatur: Nos autem ut quamprimùm peſſum detur. Vellem cogitari à fœminis non facilitatem, ſed difficultatem occaſionis: ſiquidem numerus ingens incommoditatum ſubdolè abſconditur; in eo, quòd eis quaſi nihil obvia occaſione videtur. Occaſio incipit, & definit in *O*, quod nihil eſt. Principijs obſtandum, ne caſſum fiat morulà medicamentum. Ovidius 1. de *Remed. Amor.*

Quàm acclive excutere occaſionē apprehenſam!

Sed quia delectat Veneris decerpere flores,
Dicimus aſsiduè, cras quòque fiet idem.
Intereà tacitæ ſerpunt in viſcera flammæ,
Et vetus in capto pectore ſedit amor.

Ovid.

O nihil eſt, & vis centum opus; ut rursùs quod ex nihilo conſtitutum, nihil ſit.

Expreſsit appoſitè Regius Vates: *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.* Qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat, & pedem dirigat; maximè ſi lubricum devium cogitat. Diabolus illicò perſequitur tranſgreſſores, ut luant pœnas ob fractionem legis. Vafrè quos occaſione opportuniore illicit, in præruptis collocare ſatagit: perſequitur, fugam capiunt: via illorum tenebræ, & lubricum: neſciunt, quo vadunt, quin potiùs cogitantes apprehenſuros occaſionem, animum iactant deſperatione præcipitem. At quorsùm iſta? In ventum proferimus verba. Nequaquàm erit exemplum, tot vagarum præcipitium; ſiquidem fœminis eſt occludere vitam, ædium præcludere ianuam.

Pſal.34. 6.

Via occaſionis tenebroſa, & lubrica.

7 Os ſuum aperuit ad Dominum inclytus Iephte iudex, & dux Iſrael, dicens: Quicunque occurrerit primus mihi, in pace revertenti, Domino Deo offeram in holocauſtum. *Revertente autem* (ſubdit Sacra hiſtoria) *Occurrit ei unigenita filia ſua*: & poſtquàm duobus menſibus ſuam virginitatem deploravit; ad patrem reverſæ, *Fecit ei, ſicut voverat.* Ita dicitur v.39. Hæc ſententiæ ambiguitas nonnihil negotij faceſsit interpretibus. Ambroſius lib.1. *Officior.* cap. ultim. Hieronymus *Epiſt.* 34. ad Iulian. Chryſoſtom. Homil. de *Iephte* (quæ in *Tom.* 1.) Tertullianus lib. 3. contra *Marcion.* cap. 4. & plures Scholaſtici cum D. Thoma 2.2. quæſt. 88. *artic.* 2. ad 2. aſtruunt, Iephte filiam virginem occidiſſe in ſacrificium. Alij illam ſacrificaſſe, recludendo in monaſterium. Ita Lyranus, Sanctes Pagninus, Vatablus, & Rabbini. Plurimum itaque diſtat mors civilis à naturali morte. Si vivit quaſi intrà clauſtra, quomodò privatur vitâ? Fœmina vaga eſt: cuncta intendit curioſa, per qui-

Iudic. 11. 34.

verſ.39.

Fœmina interimitur, ſi è domo nō egrediatur.

quirere, omnia ſatagit acutiſsimè minutatim ſcrutari, & perſcrutari. Unde dicitur amiſsiſſe vitam, dum pater, ne egrederetur, filiam initiavit Nazaræam; quoniam includere domi, idem profectò ac feminas iugulare. Intendite. Quaſi monialis (ne videret, & etiam ne videretur) intra ſepta femina abſconditur; & conſuetudo ſervata, ut *Filiæ Iſrael plangant filiam Iephte.* Planctus indicat mortem, & feminæ Iſræl ſimulac viderunt feminam domi recluſam, deplorarunt uti mortuam. Viris videtur huiuſmodi cogitatio præficarum delirium, feminis iuſtum lamentum: quandoquidem ampliùs timent pedibus compedem, quàm gutturi ſunem. Cuncta in domo gravia, in foro iucunda: & nullatenùs tedet illas laboris & moleſtiæ, ſi non ſint domi.

v. 40. *Ploratur ut mortua, quæ cogitatur recluſa.*

8 *Mulier* (ait Salomon) *garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis.* Parce garrulæ in hoc articulo: igitur nonnunquàm vociferantur, dum aberrant à vero. Cæterùm quàm quietis impatientem, & quàm ut intelligas curioſitate vagantem; obſerva diligenter illud: *Non valens in domo conſiſtere pedibus ſuis.* Cur ergo? An quia deſes? Minimè. Præ nimia, & ficta teneritudine, ſi brevi intervallo ſtat, iam imminet atra mors: laſſatur & valdè, pulvinar petit; quippe in domo pedibus ſuis minimè conſiſtere valet: verùm ſi datur facultas prodeundi ad ſpectacula foràs; ſtabit pernox multis laboribus, quæ in domo non valebat brevi conſiſtere pedibus. Simulat ciborum in ſtomacho cruditatem, ut arte arripiat curſitandi occaſionē: & quæ in domo capillo offendebat; extra domum, inoffenſo pede percurrit vicum. Volat, ſi oberrat, quæ in domo vel claudicabat, vel pedem movere nequibat. Medicamen huius affectionis ſtat in indulgentia facultatis: igitur ſi egrediuntur è domibus, valebunt ſtatim conſiſtere pedibus, ſubſultando per ſcopulos.

Prover. 7. 10. 11.

Quę domi ambulare non valet, extrà currit.

9 Digna ſcitu ſubit Sponſæ querela. Vocavit Sponſus, & non reſpondit, ut quæreret. Verùm egreſſam è domo, & vagantem per plateas cuſtodes percuſſerunt, vulneraverunt, & velamen oculorum ſurripuerunt. Sic enim quaſi per gradus efformatur querimonia. *Percuſſerunt me, & vulneraverunt me* (ac deinde quaſi extremum improbitatis & incomitatis) *tulerunt pallium meum mihi cuſtodes.* Pro *Pallium*, aliqui legunt, *Theriſtum*; quod Nos dicimus: *Velete.* Ideſt, nebulam ſericam, plagulam, ſive textilem ventum. Queratur itaque & meritò de vulnere accepto, verùm acriùs de theriſtro? Ampliùs queritur, de quo dolet ampliùs: ſiquidem iucundè pateretur, quòd faciem crudeliter vulnerarent; dummodò theriſtrum, aut velamen non tollerent. Hiſpanicè *Diera por bien empleadas las heridas del roſtro, como las guardas no la quitaran el manto.* Pro cratere in Delphos Apollini ſacrando, Romæ defecit aurum; quippe vas octo pondere talentorum: tuncque ſibi detraxerunt aurea ornamenta Matronæ, ut augeretur pretioſitas munere. Unde *Decretum à Senatu*, quia obtulerunt ultrò, *quòd in earum laudibus funebris haberetur oratio.* Ita Plutarchus in *Camill.* Magnum conſilium! Laudantur vitâ fungentes, oratione funebri; quippe fœminæ ſine ornamentis reputantur uti mortuæ. Sepeliunt pulchritudinem, offerentes & ultrò veſtitus pretioſitatem.

Cantic. 5. 7.

Non ita moleſtū fœminis vulnus, quàm dolor non prodeundi extra limina domus.

Sine cultu fœmina, iudicatur ſepulta.

Huiuſmodi punctio animi latet in querelæ verbis: *Percuſſerunt me* (ait) *& vulneraverunt.* Ad quid ergo *vulnerarunt*, ſi dixerat: *Percuſſerunt*: Quia duplex accepit vulnus: & arrepto vento textili, & accepto vulnere. Velamen extra domum geſtatur à fœminis in ſignum pudoris, & honeſtatis: ſine illo foràs egredi, mulieribus ignominia: & ſubtracto theriſtro amarè queritur Sponſa; quia fœminis altius vulnus, non valere (ut cupiunt) curſitare per domos. Accepit in corde plagam, ubi tetulerunt cuſtodes à facie plagulam: *Percuſſerunt* (ait) quia fœdarunt vultum; *& vulneraverunt*, quia tulerunt pallium.

Plus doloris ineſt privatione theriſtri, quàm dolore.

10 Titulo, ſeu prætextu inquiſitionis Sponſi ſemel inventà, curioſitas à cuſtodibus eſt meditanter indulta: ita cap.3.v.3. at iterùm, denuòque per vicos, & plateas quærit Sponſum; verùm cuſtodes tulerunt ab illa pallium. Dextrè igitur flagellant incuriam, vel fœminæ gyrovagæ diligentiam ſtudioſam: unde ſubtractio velaminis fuit efficacius remedium, & aptiſsimum ſupplicium. Supplicium, quippe nullum magis pungit fœminas, quàm è domo non egredi: remedium, quia tollebant cum velamine occaſionem oberrandi, & aberrandi. Oberrandi, inquam, quoniam fœmina vaga: & aberrandi, quia uſquequaque multivola.

Huius privatio eſt ſupplicium, & remediū.

DIDASCALIA II.

Naſcitur mulier, ut ſerviat.

1 CAnit Claudianus lib. 1. in *Eutropium* v.331. Ergo pudor erit Principi à coniuge regi. *Regere non poteſt,*

Claud.

Senec. *Regere nō poteſt qui regi nō poteſt*

teſt, qui regi non poteſt : ait Senec. *Epiſt.* 40. Quomodò habebit in regimine poteſtatem, cui nullum eſt regimen? Plura diximus in *Expoſit. liter. Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœminea.* Quare? An quia, ut canit Iuvenal. *Satyr. 6.* v. 229.

Deut. 22.5. Iuven.

Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem,
Quæ fugit à ſexu?

Cur prohibetur fœminæ veſtis virilis, & viro muliebris?

Aliò etiam præceptum tendit. Naſcitur mulier, ut ſerviat: veſtis muliebris eſt inſigne ſervituris, indumentum virile ſuperioris poteſtatis: & interdicitur iurè viro cultus muliebris, ac fęminæ veſtis virilis; ſiquidem abſonum, quòd fęmina habeat habenas regiminis, & vir ſubiaceat prolubidini uxoris. Nec fęmina veſte viri, neque vir fęminæ. Alta præcepti connexio, dum uterque poſſet uti pari ornatu, & indiſcreto veſtitu: quippequam nequit illa uti viri poteſtate; quin vir ſubdatur conditione muliebri.

Gen. 3. 16.

Perpende pęnam fęminæ ob delictum tranſgreſsionis. *Sub viri* (ait Iudex) *poteſtate erit.* Cur ergo ſuberit, in mariti conſortio, quæ uti ſocia traditur ducenti viro? Socia dicit æqualitatem, & minimè ſubmiſsionem: nihilominus tamen damnatur ut ſubdita, quæ creditur quaſi ſocia; quoniam ſi ſeſe viris cogitarent æquales, progreſſu temporis evaderent ſuperiores. Suberit fœmina, poteſtati viri tradita: igitur uti domina imperaret, ni uti ſubdita ſerviret. Frequenter dominium ambiunt, & ut nanciſcantur vel tumidæ ſubmittuntur: verùm erunt ſub viri poteſtate, quippe illis nulla ſine poteſtate viri.

Fœmina ni ſerviat, imperat.

Gen. 1. 26.

2 *Faciamus* (ait Deus) *hominem, & præſit.* Ubi fabricatur fœmina, nulla fit de poteſtate mentio, quoniam minimè præerit, dum fuerit homo: *Faciamus ut præſit.* Subinde ergo: *Maſculum, & fœminam creavit*, & ait: *Dominamini.* Etiam fœminæ recolitur principatus? Etiam: ſed in piſces maris, & nullatenùs in homines. Poteſtatem habet: cæterùm poteſtatem ſub poteſtate viri, quę nulla eſt cum mariti poteſtate. Omnia illi, ſed illa ſubdita viro, per quem illius in omnia innoteſcit dominatio: *Summum eſt viro dedecus à muliere dominari* : inquit Democritus: etenim cùm ut votum obtineant, vel iura furentes rumpant; invenientur vulneratæ integerrimæ leges, ſi vir improſpectè audierit vocem uxoris.

v. 28. *Poteſtas fœminæ ſub mariti poteſtate.*

Democ.

3 Inter munuſcula ſupervacua mundi muliebris, recenſentur *Mitra* in ornamenta capitis: apud Profanos etiam in uſu. Virgil. lib. 9. *Æneid.* v. 116.

Iſai. 3. 18.

——— *Habent redimicula mitræ.*

Virg.

Et Ovidius in *Epiſt.* Deianiræ v. 63.

Ovid.

Auſus es birſutos mitrà redimire capillos.

Ex queis pendebant faſciolæ foliorùm ad inſtar: de quo vide Cœlium Rhodiginum *lib. 16. cap.* 10. Pro *Mitras*, Hebr. *Tremorem.* Apud Sacros huiuſmodi ornamentum eſt inſigne poteſtatis, ideo faſciolæ pendēt è ſummitate occipitis: vocaturque meritò inſigne timoris, & tremoris; quia honor poteſtatis onus graviſsimum, angelicis etiam humeris formidandum. Videtur ambitioſis Mitræ facilis ſarcina, quoniam non perpendunt, quot pendent ex ea: igitur ſi penderent, ipſa cogitatione formidarent. *Sciat Abbas* (ait de huiuſmodi infulis N. Patriarcha gratià Benedictus, & nomine cap. 2. *Regul. Sanct.*) *quam difficilem, & arduam rem ſuſcepit, regere animas.* Verùm perciti fulgore ruunt in flammam, adinſtar Perſarum adorantes Deum Mithram. Vide Vincent. Chartar. de *Imagin. Deor.* in *Apollin.* fol. 46. Raviſ. Textor. in *Officin.* lib. 7. cap. 48. Herodotum in *Euterp.* Lil. Gyrald. *Syntagm.* 7. Pomey in *Pantheo mithic.* part. 1. & Statium dicentem lib. 1. *Thebaid.* v. 719.

Dignitas ambitur quia cuſpis inter fulgores abſcondi tur.

S. Benedict.

Deus Mithra apud Perſas.

——— *Sub rupibus antri*
Indignata ſequi torquentem cornua Mithrã.

Stat.

In Hebræo *Rabbaloth*, pro quo Hieronymus vertit *Mitras*; ſignificat & rutilare, & tremere (quippe vulgò dicimus ſtellas trementes pro rutilantes) ad aliaque phraſim flectimus: quapropter argentaria valdè lævigata, auro fluctuante lucida, radios adverſà luce vibrantia, dicuntur tremula. Hiſpan. *Tembladeras.* Unde in ſymbolo Mitræ latet appoſitum documentum: igitur cùm ſignificet auctoramen ſuperiorum dignitatum; fulgor ambitioſos allicit, dum prudentibus infula tremorem incutit. Illi (quia vel tremente fortuna extolluntur) manibus plaudunt: hi autem prudenter fulgore tremunt. Prodit næ utrorumque ſtultitia, & circunſpecta prudentia: quandoquidem nemo cordatus accedit ſplendori dignitatis, qui non laboret affectione tremoris. *Cogitet ſemper quale onus ſuſcepit, & cui redditurus eſt rationem* : ait N. Benedict. cap. 64. *Quale* dixit: quippe licèt quantum, formidabile homini; quale magis, ob prudentiam vel imprudentiam regiminis. Quid ergo erit in Dei iudicio, ſi ita in ſolio? Audi Boëtium de *Conſolation. Philoſoph.* lib. 4. Metr. 2.

Hieron.

Cur *Mitra dicitur* Tremor?

S. Benedict.

Quos vides ſedere celſo
Solij culmine Reges,
Purpura claros nitente,
Septos triſtibus armis,
Ore torvo comminantes,

Ra-

Rabie cordis anhelos;
Detrahat ſi quis ſuperbis
Vani tegmina cultus,
Iam videlicèt intùs arctas
Dominos ferre catenas;
Hinc enim libido verſat
Avidis corda venenis:
Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens:
Mœror aut captos fatigat,
Aut ſpes lubrica torquet.

Boet.

Quantæ amaritudines dignitatis?

4 Cæterùm inſtituto reſpondeamus. Mitra, & faſciolæ rutilant in fœminæ vertice. Unde Hieronymus ubi ſupr. *Venena* vocat. Sanè feliciter: non tantùm quia ornamenta fœminarum ſunt irritamenta laſciviæ virorum; ſed quia cùm Mitra, & faſciæ inſignia ſint poteſtatis, quæ ſolummodò debent reſidere in viris; thyara in capitibus fœminarum, aptè vocatur venenum: quandoquidem nullum præſentius, quàm videre in fœmina dominationis inſignia. Principatus niſi in viro virus: ideo *Tremor*, & *Venenum* ſunt *Mitra* in fœminis: igitur cùm nihil iubeant, niſi vota cupidinis; formidandum eſt dominium, ut Reipublicæ venenum: igitur nullam in regimine iudicāt auctoritatem, ni frangant crebrò irrefragabilem legē.

Cultus in fœminis fomes libidinis.

Principatus niſi in viro, virus.

5 Poſtquàm improba, ac impudentiſſima Iezabel machinata eſt religionis ſpecie mortem innocui Naboth; ingreſſa ad virum, qui pretio argenti, vel compenſatione iuxtà leges, poſſeſsionibus addere cupiebat poſſeſsiones; ſubridens, & ſalivam quatiens, Regi dixit: *Grandis auctoritatis es, & benè regis regnum Iſrael.* Utique benè regit, qui regit iuxta præſcripta rationis, à qua pendet in Principe commendatio auctoritatis: ſed auctoritas iudicatur à fœmina, non à virgine Iuſtitia. A fœmina, quæ arbitratur licere, quicquid vel audax excogitat facere: cui libet quodcunque poteſt, maximè ſi quæ facit, facit impunè: cuius lubidini ſubſervit maieſtas, ubi non lex iubet, ſed furit improbitas. Omnia dirigit proiecta in aleam, ut potiatur voto: unde maior, illi nulla videtur auctoritas, ſi fraudatur deſiderio. Ipſa dicit: *Grandis auctoritatis.* Non auctoritatem quærit, ſed grandis ſatagit: auctoritas oritur à lege: grandis à cupiditate: & niſi pro lubito frangat legem; nequaquàm grandem autumat auctoritatem. Pro furore decertabit,

3. Reg. 21. 7.

Fœmina arbitratur licere, quicquid poteſt fieri.

Ardeat ipſa licèt.

Ut profert Iuvenalis *Satyr. 6.* v. 209. Turpe putat nihil: nulla non melior fera. Quanta in uno facinore ſunt crimina! Sed unde tanta? Nacta eſt regis annullum ſignatorium: atque quod decrevit auctoritate cupiditas; perfecit in fœmina uſurpata poteſtas. Dum penes illas imperium, iacebit ſanequàm cum auctoritate virorum. Maieſtatem iudicant iubere crimina, auctoritate ſignata.

Iuven.

Quicquid cupiditas iubet, auctoritate perficit.

6 *Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne confundaris*: ait Siracides. Aliqui in *Bibl. Maxim.* apud Hay. *Ne aſcendat mulier.* Vividè: quippe in poteſtate aſcenſio mulieris, erit confuſio hominis non dominantis. Haudquaquàm taxatur coniugalis amor, ſed dirigitur. Vir debet coniugem amare iudicio, minimè affectu; quoniam tunc amor non amor, ſed furor. Honeſta eſt dilectionis origo, ſed deformis magnitudo: & parum intereſt, ut ex honeſta cauſa quis inſaniat, & ex animo bono vulnus proveniat. *Hi ſunt dominantes in poteſtatibus ſuis, homines magni.* Igitur non magnus, neque homo, qui habens poteſtatem, prætermittit uxoris dominationem. Aliqui pro bono pacis aliquid poteſtatis indulgent fœminis: veruntamen non eſt pax. *Si maritus vincatur, & uxor dominetur* (ait Auguſtinus in *Pſalm.* 143.) *pax perverſa*: *ſi autem uxor marito dominanti ſubijciatur, pax recta.* Hæc eſt pax Domini, ut dicitur *Iudit.* 6. v. 24. Hìc præſtat virorum virtus, & quòd ſunt homines; ne ingrediatur diſcordià larvà pacis, ſiquidem tanquàm homines dominantur in poteſtatibus ſuis: aliàs eſſet confuſio, non domini in dominio dominatio. Perpende ergo: *Non des mulieri poteſtatem*: igitur ab illa haud expectare poteris regimen, ſed totius regiminis confuſionem.

Eccli. 9. 2. Hay.

Fœmina debet amari iudicio, non affectu.

Eccli. 44. 1?

Indulgentia vel levis eſt diſcordia larvà pacis.

Nulla ferè cauſa eſt in qua non fœmina litem
Moverit.

Iuven.

Ait Satyricus ubi ſupr. v. 242. Nos utinam vani! Sed experientia nunquàm magis docet formidari; quàm videndo imperium in arbitrio fœminæ, gladium in manu furioſi. Ideo auctoritas dominij, dicitur poteſtas animæ: quoniam ſi regnat, quæ ſervituti naſcitur, vir primùm furoris tanti diſcrimini exponitur.

Dominiū in voluntate fœminę, gladius in manu furioſi.

7 Cogita ſeriem ſupplantationis Evæ. *Vidit, tulit, comedit* (ſerpit illicò per viſcera virus) *deditque viro ſuo, qui comedit.* Perdita dedit, ut etiam ille periret, experti iam docta mali: ut vidimus in *Expoſit. lit. num.* 5. Minimè daret, nacta quæ ſpe falſa, & animo muliebri concepit, ſpreto honore, & dignitate viri, ut illa tantùm gauderet divinitate. Priùs guſtavit, ut vir non guſtaret, ſi promiſsio vera diceret: ſiquidem virum blandè ſeduxit in conſortium criminis, & expueret proculdubio ad poſſeſsionem hono-

Gen. 3. 6.

Pomum Adamo non daret, ſi divinitas in illo lateret.

notis. Alea hæc, uti iocus fœminæ, non iacitur ad lucrum, ſed in damnum. Intuitu excellentiæ fructum tulit, præcomedit: divinitas cogitata evanuit, illa cognovit, viroque dedit animo nocendi, quia erubuit ſola perire. Ne des ergo mulieri poteſtatem: igitur ſi aſcendit, in poteſtate non habebis honorem: parvi pendit quod pereas in perpetuum, dummodò illa non exerceat famulatum. Ne aſcendat vel in minimo apiculo poteſtatis, quia confunderis: igitur propudioſa confuſio viri, vel ſemel eſſe ſub uxoris poteſtate.

8 Ius dedit Supremus, qui noluerat eſſe iudex; verùm coactus audacia tranſgreſsionis: reos ad tribunal vocavit, rationem exegit, cauſam diſcuſsit. Perſpicuo crimine, aperto Sole, Deo teſte, Auctore iudice, cùm cauſa excuſationibus nullatenùs purgaretur; ita in Adamum ſententiam ferendo, loquitur: *Quia audiſti vocem uxoris tuæ* :::: Quid Domine? Aliud emergit crimen, & ni fallor, præter legem. Lex ergo lata ſic: *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas.* Idem eſt: ſiquidem de ligno vetito non comederet, ſi vocem uxoris, ut par erat, non audiret. *Quia audiſti*, id eſt obediſti. Legem uxor à te audivit: patet crimen, quòd audiſſes uxorem contra legem. Fœminam duxiſti ſociam, & quia ſociam audiſti, expertus es adverſariam. Eucuſatio crimen eſt. Fœmina dedit: quid à fœmina boni? Crimen eſt: igitur auſcultaſti fœminæ, quæ debebat obedire. Crimen eſt, quandoquidem exercebat poteſtatem, quæ cognoſcere debuit erga virum præceptum, & ſervitutem. Crimen denique in piamine patet: ſeipſum accuſatorem ex ad vocato conſtituit; ubi quam confitetur ſociam, & ſubditam, audivit dominam: etenim ſuſpicari poterat quàm abſonum, ſuſcipere coniugem; & pro lubedine illius audire dominatricem.

[margin: v. 17.]

[margin: *Crimen eſt, quã acceperis cõiugem, audire dominatricem.*]

9 Deinde. Verba mulieris, maximè ſi credit amari, in commodum diriguntur lubidinis, neutiquàm in firmitatem amoris. Primùm intendit diligi, pòſt decipulà, ac illecebrà dilectionis dominari: & cùm diſcuſſio fit, in uſurpata poteſtate, criminis; in capite cauſæ auditio fertur uxoris: quippe nefas, dum agitur de poteſtate, vocem uxoris audire. Si auditur, cùm vana ſit, inſiſtet; quia ſpe lactatur: verùm ſpes vel ſermone recidetur. Ubi ſubdolè quaſi fortè ingerit poteſtatis blandula verba; infra mortuos amandanda: animos ſumet ab auditione, quæ ſumit etiam à ſcelere: quapropter dum fœmina loquitur ergà viri poteſtatem; crimen erit audire vel levem vocem.

[margin: *Dum agitur de poteſtate, uxorem non licet, nec audire.*]

10 Ratio ſubeſt. Fœmina ubi dominatur; ut regat, nequaquam ratione regitur. Habet dæmon imperium, dum illa gerit regiminis gubernaculum. Patet: Eva conſenſit draconi, & vir etiam, ubi conſenſit Evæ, cæterùm in cauſa dicitur: Haudquaquàm quia audiſti vocem ſerpentis, ſed tantùm, *Quia audiſti vocem uxoris.* Si dæmonis, licet per illam ſuggeſtio fit; cur uxoris, & non dæmonis vox eſt? Quia dum fœmina intendit aliquid de iure maritalis poteſtatis; non auditur vox uxoris, ſed callidioris ſerpentis: igitur quandiù illa dominatur in domo (potius in aula) dæmon profectò dominatur in illa. Dixit Siracides, ubi ſuprà: *Ne aſcendat mulier.* Aliqui apud Alapide hìc. *Ne aſcendat mulier ipſa. Ipſa.* Vigilanter, & lepidè. *Ipſa*, quia ſi aſcendit, alia: & alia, quia diabolus dominatur in illa.

[margin: *Dæmoniũ, ubi dominantur viris, dominatur in eis.*]

[margin: Eccli. 9. 2. Alap.]

11 Demùm. *Audiſti vocem uxoris tuæ.* Querela eſt Auctoris, ingratitudinem objicientis. Accepiſti à me omnia, & etiam uxorem, quam in malum audiſti. Audiſti: utinàm ſurdus fuiſſes! *& comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes.* Præceperat iurè Dominus, contrariaque præceperat fœminæ libitus: & movet meritò ſtomachum, quòd libitus uxoris obſervaret, ut præceptum. Ecce amoris deliri vehementia, & iuſta præcipientis querimonia: quandoquidem dignatus tot beneficijs, obſurdeſcit præcepto divinæ legis, ut audiat in perniciem ſtultam vocem uxoris. Quit excogitari maior inſania, quàm occludere præceptis rationis, & fœminæ deliræ præbere patulas aures? Proh dolor! Vir ruinam audiendo agnoſcit, & nihilominùs audit. Claret, quòd apoſtatare faciant ſapientes: igitur dum illæ caput, viri ſine capite alienantur ita à mente; ut adversùs idipſum, quod ratio clarè cognoſcit, faciant quod fęminis libet.

[margin: Ibid.]

[margin: *Huiuſmodi virorum indulgentia, eſt inſania.*]

12 *Adam* (ait Doctor Gentium) *non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.* An Adamus fuerit ſeductus, necne, vide apud Pererium in *Geneſ.* lib. 6. de *Lapſu Homin.* num. 93. forsàn Nos diſputabimus *Tom. 6. Tautolog.* 2. ad illud *Ierem.* 20. v. 7. *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum.* Dij faxint. Modo inquirendum quaſi levi manu, quomodò prævaricator in ipſa prævaricatio ne non fuit ſeductus? *Quia ſola Eva credidit ſerpenti*: ait Magiſt. Sent. in 2. d. 22. Adam fallaciam cognovit, decipulam ſcivit: & aſſenſit? Utique: poſtulavit fœmina, & anxiè: Deoque diſplicuit, coniugi ne diſpliceret. Nequaquàm ex licitè conceſsis arguunt dilectionis vehementiam in

[margin: 1. Tim. 2. 14.]

[margin: *Sola Eva ſerpenti credidit.*]

[margin: Magiſt. Sent. *Cur Adamus non fuit in prævaricatione ſeductus?*]

in maritis: ni propter illas leges vel divinæ frangantur, non præſtat mariti obſequium. Illis parum gratum poteſt eſſe, quod licitè poteſt fieri. Lex illarum eſt corruptela legum, cupiditatis prolubium. Seducitur, quicunque cautè, vel incautè fallitur: qui fallaciam agnoſcit, etſi aſſentiat, non ſeducitur. Unde Adamus non eſt ſeductus, quanvis in crimine captus; quippe cognoſcens præcipitem ire, ſimul cum tota progenie; Dei Auctoris fregit legem, ne contriſtaret uxorem.

[margin: *Sciẽs peſſundedit legem, ne contriſtaret uxorem.*]

13 Clamat vel in diſco caput Ioannis Baptiſtæ, quia eius lumina clauſa luxuriæ horrore, non mortis neceſsitate. Dotes illius etiam apud iniquos commendabiles, ut clareret pulchritudo, & efficacia virtutis. Duxerat Herodes Herodiadem, & ut aptiùs dicàm, non duxerat, qui ducebatur ab ea. Renuit Ioannes, Regi dixit, hic torum illegitimum cognovit: nihilominùs tamen *Sciens eum virum iuſtum, & ſanctum, tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem.* Qua de cauſa? Quia Rex adulter? Quæ non rapuit, Ioannes ſolvit. Iuſtus eſt: carcer patet criminoſis, non verò iuſtis: cur igitur ſciens virum iuſtum & ſanctum; habet in carcere, & vinctum? *Propter Herodiadem.* Illa adverſabatur, iuſtitia tuebatur: & ubi intervenit amor furioſus, ubi circunvenit fœminæ laſcivæ lubitus, & ubi convenit nequam dæmon humanus; adversùs omnem iuſtitiam, in ictu oculi iugulabunt innocentiam. Tranſivit enim in affectum cordis, prudentia mentis: & Herodes fœminæ pravæ præſtigijs ita deſcivit à mente in honorem laſciviæ; quòd ſcienter, ut deturbaret, vinxerit innocentem, propter nequam Herodiadem. Crimen perpetravit, & ſciens non eſſe crimen? Quem libenter audit, morti tradit, & libenter? Amicum veretur, & detrudit amicum? Malè conſulit, ſibi qui benè conſuluit? & *Sciens*? Omnia abdicit, quem mala fœmina ducit. Et *Sciens*? Minoris fœmina obſéquium haberet, ſi procus procax neſciret. *Sciens*, qui illam ardebat, ut magis arderet illa, crimen fecit. *Sciens*, ut illa inter ſigna fidei perfidæ, inter ſpolia pulchritudinis ſactandæ, numeraret inſigne triumphum, quòd ſimul cum Ioanne Regis iugulavit intellectum. Ite fœminæ, ite. Vos depereunt, & vos perditis: pęnas utique etiam, ante mortem dabitis, abolitis inſtrumentis cum ætate pulchritudinis. Audite Iuvenalem (licèt rumpamini) vera dicentem *Satyr.* 6. v. 143.

[margin: Mar. 6. 20. Ibid. v. 17.]

[margin: *Propter lubitum uxoris, ſcienter rumpuntur decreta legis.*]

[margin: *Parvi æſtimant venuſtatis triumphum, ni virorum captivẽt intellectum.*]

[margin: Iuvenal]

Si verum excutias, facies, non uxor amatur,
Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet,
Fiant obſcuri dentes, oculique minores;
Collige ſarcinulas, dicet libertus, & exi,
Iam gravis es nobis, & ſæpe emungeris, exi
Ocyùs, & propera, ſicco veniat altera naſo,
Intereà calet, & regnat.

[margin: *Plerunque facies, non uxor amatur.*]

Regnat? Heu Cęli, terræque pudor! Serviat ergo, quæ ſervituti naſcitur.

DIDASCALIA III.

Fœminæ doctæ ad malitiam.

1 DIxit Terentius in ſua *Hecyra* Act. 2. Scen. 1. v. 5. ac v. 1. quaſi de gravi onore querulus exclamat:

[margin: Terent.]

Prò Deùm, atque Hominum fidem! Quod hoc genus eſt?
Quæ hæc eſt coniuratio?
Ut omnes mulieres eadem æquè ſtudeant, nolintque omnia:
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio, ullam reperias?

[margin: Idem.]

[margin: *A fœmina nil fœmina unquã diſcrepat.*]

Prætermitto quæ non ad noſtra, videnda apud Sophoclem, Menandrum, & Ovidium in *Eleg. Amor.* Nos de induſtria illarum modò agimus, qua excutere contendunt ſervitutis iugum: ac in hanc rem,

Sidera non tot habet cœlum, nec flumina piſces,
Quot ſcelerata gerit fœmina mente dolos.

[margin: Ovid.]

Crudele genus eſt, nec fidum fęminæ nomen: igitur ut ait P. Syrus in *Mimo*: *Apertè cùm mala eſt, tum demùm eſt bona.* Nota, non ita mala: ſiquidem prævenit medicina cautionis artificia illarum fraudis. Labor ſanequàm iniquus, viros cavere ab uxoribus, quaſi à ſerpentibus: & ni caveant providè, iacebunt improbè. Quis excogitare quibat, ipſam ſervitutem poſſe fieri gradum ad viri dominationem? Fęminæ in hac arte doctæ ſunt: & dextrè ſubijciuntur, ut maritis dominentur.

[margin: Plub. Syr. *Nota, nõ ita mala.*]

Pulſat memoriam frequentior phraſis Scripturæ, qua lapſus, ſeu ſervitus iungitur adorationi. *Si cadens adoraveris me*: *Cadentes adorate ſtatuam.* Daniel. 3. v. 5. & 6. *Proſtratus adoraverit.* Quis igitur adorat, quin genua flectat, caput inclinet, & ſubditum ſe exhibeat in obſequium reverentiæ? Mulier, quæ adinſtar Herodis cogitans adorationem, machinatur & necem. Alij cadentes adorant, fęminæ verò ut aſcendant: quia nequaquàm ſubijciuntur, niſi ut adoratione adoratis dominentur. Expreſſa fuit huiuſmodi aſtutia in primæ fęminæ pęna. *Sub viri* (ait Iudex) *poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Ad quid ergo confer-

[margin: Matth. 4. 9.]

[margin: *Servit, ut dominetur.*]

[margin: Geneſ. 3. 16.]

ſertur viro ius dominationis, poſt collatum in fœminam poteſtatis? Quia quod iure conſequi fęminæ nequeunt, arte nanciſci conantur: ſerviunt, ut minimè ſerviant: ut adorentur, adorant: & dicitur fęminæ, *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur*, vel in ipſa ſubiectione; ut non fallaci domineris ſervitute: ſiquidem pleræque callidè, vafrè, ſubdolè ſummiſsione faciem ornant, ut poteſtatem quaſi nolentes obtineant.

Servitus illius fallax.

2 Perpetim territa tremula ambitio. Flamma eſt: & licèt ſine fomite, viget in pectore fęminæ. Salome, quæ pignoribus felix, & potiùs filiorum dignitate, haud plenè gaudebat, quòd ex duodecim eſſent; dummodò non eſſent, & primates inter duodecim. *Acceſsit* ergo ad Ieſum, *Adorans, & petens aliquid ab eo.* Adorans petit: ſanequam fęmina indulgens adorationi, ſatagit de utilitate: ſine commodo neſcit illarum vanitas, quòd cedat vel apiculum auctoritatis maieſtas. Adorans petit, & *Aliquid.* Quid? Magnum concepit, poſtulavit: & prevenit meditanter de iniuria querimoniam; ſi Chriſtus repelleret petitionem unam parvulam. *Aliquid* dicit, quaſi non eſſet aliquid: videlicet, ut minutias gratiarum, ſublimitates ſoliorum: vel ut facilem exitum haberet ambitionis conatus, dixit *Aliquid*, quaſi conceſſum non nihil: vel quia quicquid petunt, ut immunes inveniantur gratitudinis, ſimplices arbitrantur analecta maieſtatis.

Matth. 20. 20.

Ars latet in qualibet petitione fœminæ.

3 Votum ergo fęminæ pateat. *Quid vis?* dixit Chriſtus adoratrici petenti. *Volumus, ut quocunque petierimus, facias.* Volumus? *Ambitionem, & ſuperbiam quandam petendo præſeferebat*: ſubdit Novarinus in cap. 20. *Matth.* num. 1024. *Volumus.* Neſciunt mulieres quod petunt, & nihilominùs aperta fronte, vel plicatis ſchedulis aggravant continuò iudices, ac exacerbant dominantium aures: quin à ſuperba cogitatione poſsint vel clamante iuſtitia removeri; arbitrantes vanitate inſità, in contraria ſufficere ſupplicaſſe. *Volumus.* Alta petis. Et volumus, quantumvis res difficilis. Auctoritas fęminarum clavis regia: æſtimabilior eſt deprecatio, quàm gratia. Si iudex urbanus, concedere debet comes haud ſolùm quod iurè poſsit, & volumus; ſed quia volumus, iurè & quodcunque petierimus. Neſcimus quid petamus, verùm ſcimus, quòd petimus (præclarum ratiocinium! ſed ab impudentia inventum.) & ſufficit: interventio fęminæ, ut gratia ſurrepta à iure, donetur interventione. Ignorant fęminæ, ignorare civilia adhuc in ſummiſſa ſupplici deprecatione; & tantùm ſciunt gloſſas inveniri in iure. Ideo dicunt: *Volumus*, quod non lex, & iudicium rationis, ſed teſſera arrogantis voluntatis: ita vana ad poſtulata, ſexus accensà ſuperbià; ut importunis libellis ſupplicibus obſtringant iudices, pro lubito fęminarum vacuè interpretari leges. *Volumus.* Non proferunt unà, *Si licèt*: quippè illis videtur pro voluntate licere; & neminem ſine dedecore inurbanitatis (Hiſpanic. *Sin ſer groſſero*: hac enim verè, ipſæ ab omnibus vindicantur iniurijs.) in cauſa cogitaturum niſi cauſam fęminarum. Falluntur utique: multis perſuaſum, ſat eſſe, quòd ſupplex libellus deſcendat à manu fęminæ, ad hoc ut cauſæ iudicentur iniquæ. *Volumus.* Quid ergo dicis? Poſcis, vel depoſcis? *Volumus*, vox eſt imperantis, nequaquàm ſupplicis: & dicis pro voto *Volumus*; ne deſciſcas vel verbo à præcepto vanitatis: ſiquidem ambitionis cervicoſæ prolubium, vel imprecando iudicatis imperium.

Marc. 10. 35.

Novar.

Videtur illis pro iure ſufficere, ſupplicaſſe.

Et vel iniuſta pro voluntate licere.

Imò non poſcere, ſed ſupplicatione depoſcere.

4 Non vellemus, ſed *Volumus.* Verùm quid? *Ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Hi filij pignora cordis, & gaudia matris, vacuis thronis, & deinde conſanguinitatis vinclis (ſiquidem tua intereſt, potiùs quàm ipſorum) volumus, ut in gloria ſedeant tecum. *Aſtutè petit*: ſubdit Gloſſa Interlinealis in *Marci* cap. 10. At cur aſtutè? Quòd filij viderentur in gloria, erat genitrici auctoritas, atque fomes vanitatis: quòd conſuleret auctoramini illorum, decus & officium genitricis: & quod videtur erga pignora dilectio, latet in fęmina ſtudioſiſſima ambitio; cùm plerunque larvà officij, & ſpecie obligationis, ſtudeant magnoperè incremento vanitatis.

V. 21.

Interl.

Student vanitati ſpecie officij.

5 Perpenderis ſupplicantis ſermonem, & callebis in deprecatione clanculùm artem. Mater accedit, votum exponit, aviditate fęminea cupit: & ita profert: *Dic ut ſedeant*, &c. Cur ergo non *Fac*, ſed *Dic*? Solent viri fęminas honorare; & etiam ius cuſtodire cum fęminarum honore: ſed hæ quoque agnoſcunt promiſſam fidem (maximè illis in auctoritate delicatulis) minimè fluxam, nec graviſsimo obice vel leviter revocandam. Unde illa quædam apud Æneam Silvium lib. 2. de *Reb. & geſtis. Alphonſ. Poteras* (inquit) *negare cùm peterem: nunc autem ſine turpitudine, quod promiſſum eſt, reſcindere non potes.* Lapis iactus eſt, quia irrevocabilis virorum fides præclara: quæ procedunt de labijs non faciunt irrita. *Theodoſij* (ait Ioann. Chokier in *Theſaur. Politic.* lib. 2. cap. 12.) *tam certam fuiſſe beneficiorum promiſsionem ferunt, ut iam viderentur accepta.* Viri ſani cerebri priuſquàm verbum è pectore proferant, conſultò in pectore verſant: ſcientes illicò ut detrudatur in carcerem auditus præſtolantis, illos ligari arctis catenis honoris; *Ne fortè dicant*, quod quidem præſtat auctoraminis formido, & ſpectri dura obiectio. Magni æſtimant homines oppigneratam fidem, & verſutæ fœminæ hàc ineunt ſolerter fraudem. Promiſsio (cogitant) vel de iniuria facilis: perfectio attentis circunſtantijs omninò difficilis: ſi volat occaſio; dato tempore, deprecatio patet turpitudo throni: unde dextrè omnes cum Salome dicunt: *Dic*, minimè *Fac*: quia ſi ſemel promiſſeris dignitatem; ad te ſpectat, & honoris ſplendorem, præſtitam ſervare fidem.

Ibid.

Fides data minimè fluxa.

Æn. Sil.

Fides in homine confertur iaculato lapidi.

Chok.

Ne fortè dicāt *eſt terriculamētum hominum.*

Fœmina fidem ſolummodò poſtulat, quia perficere ad ſponſorē ſpectat.

6 Nihil negare, opinio ſeu amentia fuit quorundam ſuperborum Principum, potiſſimè in exaltatione ad regnum. Ideo *Iuxta Regiam grande Gratiarum templum*: ait Alexander Neapolitan. ex Ariſtotele in *Ethic.* & etiam Vincentium Chartarius de *Imagin. Deor.* fol. 357. Iuxta Regiàm opportunè templum Gratiarum; quippe conferre nulli magis congruit, quàm maieſtati Principum. Verumenim non prodigè, ſed magnificè: ni, Gratiæ convertuntur in Parcas truces, quæ rutilo gladio iugulant cacumina maieſtatis. Oſtendit tempus in ſucceſsionis aulæo, dedecus inferri lævigatum vanitatis auro; quin Princeps præcaveret abſurda gratiarum, animo feſtivo exaltationis ad thronum. Clamat Xerxis, in qua *Uxor fratris petitur*, ut ſcribit Herodotus *lib. 9.* & cœna Herodis, ubi Ioannes decollatur. Iucundè Princeps audit, improſpectè promittit: poſteaque mens experrecta ex dulci plauſus lethargo, agnoſcit & ſerò, collatam ex facili gratiam, ſplendore vano devenuſtaſſe coronam.

Iuxtà Regiam Gratiarum ædes.

Alex. Neap. Chart.

Herod.

Lubricū eſt in aſſumptione ad culmen dignitatis, ſtudere beneficijs

7 Liquet ergo intuitus Salome adorantis in ſtylo petitionis. Aſtutè petit. Cur ergo aſtutè? Inſit Interlinealis ut ſupr. *Aſtutè ſine nomine petit*: vafrèque petit, quia *Aliquid* impetrare conatur ſine nomine. Artificio muliebri ſtruit libellum, nullo modo ſignans nec exprimens votum. In hoc eſt aſtutia? & magna. Gratiæ indeliberatæ facilior erat promiſsio. Si exprimeret, deſpiceretur, uti ſtulta deprecatio. Palàm frigidè ſine gratia repellitur, clàmque facilè beneficium promittitur: & nullus, niſi qui corda ſcrutatur, cogitaret fœminæ ambitionem, ad ſuperiorem poſſe extendi dignitatem. Aſtutè ſine nomine petit, quin dicat in ambitione quid ambit: ita diſponens articulum rerùm, ut Princeps ſeptus pondere circunſtantiarum, datam fidem obicibus frangeret; vel conſcientiam gravaret, ſi perficeret. Lepidè vernaculo idiomate: *Poniendole con deſtreza en lance de no cumplir; ò de arrojarſe cumpliendo, à hacer una necedad.*

Matth. 20.20.

Sine nomine ſit fœminæ petitio, ut facilior ſit cupitorum impetratio.

8 Comitem Gratiarum Priſci inſtituerunt Mercurium, cui in ſacrificijs cedebat pro victima lingua animalium, iuxta illud, neſcio cuius.

Interea accenſis fundunt libamina linguis.

Heſiodus Gratijs, quod voluit nomen impoſuit: ſi loco memoriæ audacia fuit, quiſvis ſine iniuria nomenclator poteſt eſſe. Sortiantur ergo nova nomina. Prima *Quid*, Secunda *Quibus*, Tertia *Quando*: at ſi Quartam addideris cum Homero, nuncupa *Quomodò*: ſiquidem in his vertitur rationale beneficium. *Ergo & Mercurius unà ſtat* (inquit Seneca 1. de *Benefic.* cap. 3.) *non quia beneficia oratio commendat, ſed quia pictori ita viſum eſt.* Huiuſmodi ſocietas, Senecæ videtur error penicilli, vel ludibrium phantaſiæ. Mercurius rationis eſt ſymbolum: lingua inſtrumentum verborum; & abeſt ſanè à Principis prudentia, quòd concedatur gratia, quia labitur lingua. Spiritus quidem Sanctus mundo, Dator munerum advenit in linguis; verùm ſubſedit in throno capitis, quod ſedes rationis: de quo alibi. Facilè movetur lingua interpretatrix cordis, in fabrica mirifica rationalis: prudentiæ refert æſtimare meritum: ergo Mercurius cum linguis eliminetur à conſortio Gratiarum: ſiquidem fas non eſt, quòd munera conferantur, quia ex facili promittuntur.

Lingua Mercurio offerebantur.

Nomina propria Gratiarum.

Senec.

Perperā conceditur gratia, quia labitur lingua.

Act. 2. 3.

Haud alia de cauſa ſtatua Mercurij iurè cum Gratijs eſt collocata, quicquid dicat, aut obſtrigillet Seneca. Minimè linguis commendantur Gratiæ propter Mercurium: ita eſſet penicilli phantaſia. Cæterum ſtat Mercurius inter Gratias, & linguas; quo ſignatur maximoperè prudentia. Mercurius præſtat ut ſpeculum mentis: lingua verò ut inſtrumentum vocis, qua abſcondita proferuntur in lucem, beneficij conferendi aſsignando promiſsionem: & meritò Numini cui conſecrantur linguæ, adſtant & Gratiæ; ne facilè oppigneretur pro gratiarum collatione inviolabilis fides, quin ratio coërceat linguam ex arrupto promittentis.

Cur cum Gratijs ſtatua Hermetis

9 Inter ſpolia Iericho, cùm vaſtaretur ferro, & igni à filijs Iſraël; videns Achan *Pallium coccineum* ::. *regulamque auream*, Græc. *Linguam auream*, concupiſcens abſtulit, & abſcondit. Aptè cum purpura, aurea regula, & lingua: igitur cùm purpura inſigne ſit regum, & artifex lingua vocum; ſedet altè regula in Principis lingua, ne præceps ruat, cùm promittitur gratia. Naſcun-

Ioſue 7. 21.

Non audiatur in Principe lingua ſine comite regula.

tur Principes in Soles, proſequentes beneficijs ſubditos ſublunares. Ideo *Omnibus* epigraphe fuit Solis, & teſſera Principis apud Strada *Tom.* 1. de *Symb.* Currunt enim in beneficia inopum, ut maieſtatis clareſcat ingenium. Indoles beneficia improvidè, & ars ambitionis dextrè convertunt ſæpe fulgura munerum, in maieſtatis indelebilem nævum: ac in Principis purpura rutilant ſimul lingua & regula aurea; quoniam nequid ſpondendum muneris, quin lingua aptetur ad amuſsim rationis In Principe nônunquàm ſubditi experientur linguam auream, ſi fuerit ſecutus comitatis regulam; quæ quidem aureum reverà filum in tortuoſo labyrintho ambitionum urgentium. *Verbis generalibus ludat Princeps*, ait Chokierus ubi ſuprà: non ut illudat ambientium meritorum ſplendorem, ſed ut eludat urbanè importunitatem. Sunt enim verba dubia in bivio expoſita, ambigua, verba conſolatoria, & bona verba, quibus candidati ſpe lactati, gaudebunt cogitatione: ſiquidem in dubijs vocibus unuſquiſque accipit, quod unuſquiſque concipit.

Strad.

Nihil ſpôdeat dignitatis, niſi ad amuſsim rationis.

ChoK.

Generalia verbà aliquando neceſſaria.

10 In Evangelio patet eiuſmodi effugium, perficiendæ politices documentum. Iam Chriſtus diſcipulis dixerat: *Sedebitis ſuper thronos duodecim.* Matth. 19. 28. verùm ambitio ſiſtere nequit: unde mater filiorum Zebedæi illis urgentibus, cogitavit pretio adorationis emere dignitates. *Petit reverentià exhibità, ut impetret*: infit Chryſoſt. Homil. 66. in *Mat.* & illa ad Chriſtum: *Dic ut ſedeant hi duo filij mei unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Audivit Arbiter, & filijs dixit: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Dicunt, & faxò: *Poſſumus.* Nil mirum: qui ſcrutatur maieſtatem, & gloriam perſequitur, ultrò in omnem aleam proijcitur. *Poteſtis bibere? Poſſumus.* Benè, & optimè. Mactè fortitudine, valete: videmini, & meritò filij tonitrui (vividiore ſignificatione Hiſpanicè: *Pareceme muy bien: ſois unos rayos.*) Specimina apparent virtutis, quæ mihi videntur, & non fallor, ambitionis, verùm de ſermone erga thronos: *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt.* Duo occurrunt diſcutienda: primum, quo pacto filijs reſpondit, petente pro filijs matre? Docet ſummus Magiſter, fœminas nec deſpiciendas tædio, nec admittendas iudicio. Petijt aviditate fœmineà, vel filiorum inſtantià: & longè debet eſſe à moderatione iudicis, aut præſidis, pro facili deprecatione retorquere amaritudines. Dialecto noſtrà: *A una ligereza de empeños mugeriles, no es razon ſe reſpondan dos ſequedades.* *Non eſt meum:* Ideſt, non poſſum. Utinàm poſſem concedere beneficium!

Chryſo. Math. ubi ſup.

ỳ. 21.

ỳ. 22.

Vel repulſa ſiat beneficij à iudice urbanitate.

ỳ. 23.

11 Secundum, quia filijs Zebedæi thronos, quos petebant interventu matris, deſtinaverat: uti aſſerit Laurentius Iuſtin. Chryſoſt. Theophylact. & alij videndi apud Novarinum hìc *num.* 1027. Quædam enim negantur, ut congruo tempore dentur. Verùm ſi bibere calicem, idem eſt, ac obtinere ſedem, & illis ſervantur throni maieſtatis; quare dicit: *Non eſt meum dare vobis?* Ut altè politica inſedeat principibus, ubi importunè vallantur deprecationibus. Hieronymus hìc ait: *Non dixit, Non ſedebitis, ne duos confunderet: nec dixit, Sedebitis; ne cæteros irritaret.* Unde ingenioſè Anton. Giſland. *Dub.* 24. inquit: *Non reſpondit eis affirmativè, nec negativè.* Cæterùm quare? Si promiſsiſſet, fide data, etiam ſopitis meritis, teneretur promiſsis: ſi repulliſſet, meritum labaſceret, quia ſine præmio langueſcit: & neque affirmat, nec negat; quoniam ad importuna propoſita fœminarum, verba bona, & urbana inſtituuntur, quibus nec omninò negatur, nec omninò conceditur. Si quia acceſsit mulier, ſedes concederentur à Iudice; ſuper urbanitate infelicem pluerent conglomerati à mulieribus libelli: ſi non audiret, fœmina invenuſtè recederet plena rubore: & repulſæ (etiam meritò) non ita palatum dulcorant; quòd aloës ſpeciem, oris perturbationes non dicant. Unde Chriſtus ut blandè ſolvat quæſtiunculam inter deprecationis repulſam, & muneris gratiam; illicò ut Salome *Dic* irrationale expreſsit, nec affirmativè, nec negativè reſpondit.

Novar.

Hieron.

Giſland.

Ubi illicitum fœminarū propoſitum; nec negativè, nec affirmativè reſpondendum.

12 Haud aliter eſt comitas feſtiva, & aliàs ſana conſcientia: igitur ſciunt laſſati ambitione, ſub iudice integerrimo illicita non licere. Attamen ſub quo non licita licita? Sub quo? Sub multis, ſed omninò ſtolidis; qui arbitrantur in dignitate conceſſa articulum, gratitudinis, in proiecta ſubiectione imperio benefactoris. Hoc plerunque uſuvenit conferentibus honorem, & arripientibus ſimul ab honore poteſtatem: unde penes electorem eſt principatus, & electus ſtolide manet ut truncus. Raro igitur eligunt, qui quæ fecerint, agnoſcat; ſed qui inſenſate conniveat: dicentes intra ſe: *Cuncta prætermittet: eſt quidem vir bonus, & homo gratus.* Quapropter pellectus hoc vaniſsimo titulo in dignitatis ſolio; ne ab obligatione gratitudinis deficiat, gratus deficit ab ipſa obligatione.

Qualis aſtutia in electionibus?

13 *Declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*: inquit Pſalmographus. Qui inclinantur obligationibus, mancipandi ſunt ignibus? Intelligerem porrò, ſi diceret: *Declinātes ab obligationibus*; ſed *In obligationes declinantes?* Etiam: declinant. Sed quo pacto? Politica agendi ratione, & non politice. Permutant electi legis, & gratitudinis reſpectus, ubi aſſumuntur ad thronos: at cùm conſulere debeant cunctis, & in regiminis utilitatem; reſcindere opus eſt, quòd cum Machiabello nuncupant obligationem: quippe addicti peculiaribus obligationibus, meditanter deficiunt à dignitatibus.

Pſalm. 124. 5.

Minimè electus deficiat à dignitate gratitudinis ſpecie.

14 Pro *Obligationes* legit N. Genebrardus hìc, *Laqueos.* Mirabilis prorsùm lectio, pro illis qui ſunt in dignitatis eculeo. Invenitur infelix cum obligatione muneris crediti, & cum obligatione eligentis ad munus. Adverſantur mutuò obligationibus obligationes; quia inſtant præſcripta legis, & leges inviolatæ gratitudinis. Unde iurè anfractus obligationum dicitur laqueus diſcriminū, in eo qui obligationi reſpondet, & non reſpondet: igitur ſi non reſpondet, prædicant ingratitudinem: & adducitur reſpondens cum operantibus iniquitatem.

Geneb.

Cur huiuſmodi reſpectus dicatur laqueus?

15 *Obligationes laquei*: igitur articulus perplexus, & nodus Gordius. Si ſupplicationes iure nituntur; non expedire, nefas erit: verùm ius erit, non expedire quod nefas. Indignus eſt repulsà gratiæ, qui ſtuduit electi decori: ſed dignus erit, ſi deprecatur indignè. Dura, & cruda occaſio ſubditur in ſpecie bracteata obligationum; ubi electoris deprecatio deviat à tramite legum: igitur exponitur crimini, ſi complacet eligenti; & mancipatur diabolo, ne ſit vel leviter invenuſta petitio. Diceres vulgò: *Es fuerte lazo, exponerſe al peligro de llevarle Barrabàs; por cumplir con el punto, que llaman de hombre de bien.*

Salutis exponitur diſcrimini, ut electus complaceat electori.

16 Iſthæ *Obligationes* (rationis, & politicæ funiculi triplices) ab eodem Auctore vocantur *Tergiverſationes*; & bellè: quoniam inter malleum, & incudem mens preſſa, anxiè patitur deliquia. Caput circuitus eorum: & vertigine laborant, qui in circuitu ambulāt. Celebris prorsùs trica, ubi circū agitur intellectus, & huc, atque illuc debacchatur delirus. Quatitur ventis diſcordibus intellectionis phaſellus, quaſi acus nautica duplici cynoſurà, & ultrò, citròque navicula ſententiarum ducitur vagè cōtrarietate fluctuum. Quare cùm magis inſtent vela turgida vento inſulſæ gratitudinis, quàm ſaburra eligenda divinæ legis; crebris tergiverſationibus intellectus anxiatur, & vento valido obligationum ſubmergitur.

Idem.

Vertigo capitis eſt cuiuſvis diſtributio muneris.

17 Non erit medicamen? Erit ne verba dare dicis gratia, & dare verba? Nequaquàm. Quid ergo? Audire, concuti, & non commoveri. Dixit ibidem Pſaltes: *Non commovebitur.* Nullatenùs, ut ſibi iure gratuletur elector de electione, commoveatur electus niſi iure: ſiquidem non licet facere, quod illi non licuit, & modo blandus quaſi adorās petit. Haud niſi mentis impoti articulus anceps: ſiquidem nec à longè denuò exacerbabitur, ſi ſemel non commovetur. Ridiculum itaque non reſpondere obligationi muneris, ut declinet poſt vanas obligationes. Ideo nectit demum pacem Propheta Regius, dicens: *Pax ſuper Iſrael.* Ideſt medicina huius ſpectabilis inſaniæ: igitur pax non erit, ubi harum obligationum reverentia viget. Nunquam obſervatio cum harum obſervatione, neque dignitas cum huiuſmodi indignitate. *Pax ſuper Iſrael*: quæ quidem mirabiliter florebit; ſi elector non detrahat imperioſis precibus poteſtatem; cui conceſsit ultrò poteſtatem, & honorem.

verſ. 16.

Medicina huius languoris.

verſ. 5.

Et ingreſſus pacis.

DIDASCALIA IV.

Ingentis magnitudinis eſt, ſuā cognoſcere parvitatem.

1 Dixit Novarinus de *Virgin. Umbr.* cap. 10. Unde celebre Pōpeij encomium, quod *Sibi uni parùm magnus videretur*: ita Seneca *Epiſt.* 94. Magnus erat, ſed maior, quia ſe magnum ignorabat. Hæc claret excelſitas, & humilitas: ſiquidem huius ſpintheris pretioſa ſupellex haudquàm effulgurat niſi in elevatione. Humilitas in humili nequit eſſe: erit humiliatio, & nō humilitas, quippe tūc patet in humilitate veritas. Volūtaria eſt mentis inclinatio, qua ſibi ipſi quiſque vileſcit: & quod claret ad oculum quaſi verum, erit in pectore cognoſcentis volūtarium? Haud alia de cauſa Virgo virginum inter humiles humilior, niſi quia cunctis excelſior. Infra ſe fuit, & ſupra ſtat, *Quia levavit ſe ſuper ſe.* Minimè levaretur, niſi ſe ſuppirmeret: & nequaquàm ſuppirmeret, ſi iaceret. Opus fuit magnitudinem deprimi, ut daretur ibi locus humilitati. Se magnam ignorabat, quę maior erat: & aſtruxit meritò in concepta parvitate magnitudinem; quæ ſuam ad magnitudinem cognoſcebat parvitatem.

Novar.

Senec.

Quomodò humilitas in humili nequit eſſe?

Deipara præ cunctis humilior.

Thren. 3. 28.

Cōplementum civitatis, & pulchritudinis Ty-

Ezech. 27. 11.

Tyri, ab Ezechiele deſcribuntur Pigmæi. *Pigmæi* (ait) *qui erant in turribus tuis :: ipſi compleverunt pulchritudinem tuam.* Ecce ſignum maioris humilitatis. Quo magis elevantur, minores fiunt. In ipſis elevationibus voluntariè decreſcunt : & dum cuncti cunctis venerantur maiores, ut potiùs venerentur, apparent humiles: pigmæi in cognitione, gigantes in dignitate: igitur dum meritis ſublevantur; fiunt maiores, ſi minores fiunt. Complevisti, ò Deipara, humilitatis pulcritudinem : & in te completa, quia non ultrà. Glorioſa dignè dicta ſunt de te Civitas Dei: ſed nullum maius encomium, quàm depreſsio voluntaria cognitionis magnitudinis, in turribus dignitatis.

Iuſti fiūt maiores, dum minores fiunt.

Ex humilitatis forma, Virginis oritur excellentia

2 Succinit S. N. Patriarcha *Regul. Sanct.* cap. 7. aureo prorsùm, ubi huiuſmodi cognitio commendatur : *Si ſummæ humilitatis volumus culmen attingere, & ad exaltationem illam cæleſtem, ad quam per præſentis vitæ humilitatem aſcenditur, volumus velociter pervenire.* Quid? Humilitas, & ſumma humilitas habet culmen? Humilitas exaltationem, & cæleſtem? Habet. *Totum quod contemnit, adipiſcitur*: ait Ambroſius lib. 7. in *Luc.* Ubi plus contemnit, plus pedibus ſummittit. Calcat meditanter : ergo humilitas ſuper : ſiquidem in omni iudicio, calcari non poteſt, niſi inferior. Adipiſcitur enim, quod contemnit; & *Summa* ſummum attingit : unde manet in culmine, quoniam omnia vel excelſa iacent ſub humilitate. Non alia de cauſa dicitur *Exaltatio cæleſtis*, ubi deſignatur *Culmen*, & *Humilitatis* : igitur ſi in culmine brevis, vel magnitudo, ſtatuæ, humilitas proculdubio maior in culmine : quoniam quò maior ſubiectio, ſuperior exiſtit mundo.

S. Benedict.

Quedn culmen humilitatis?

Ambr.

Continet quod contemnit.

3 Perpende ingenium. *Summæ humilitatis culmen*, inquit *Pater ſanctiſsimus Patrum, & Doctor dulciſsimus Doctorum* : quo effertur elogio à NN. Ven. Bed. & Petr. Vener. Serm. de *S. Scholaſtic.* Eſt culmen humilitatis, & eſt ſummum culmen. Culmen reſpondet humilitati, & ſummum ſummæ. Reſpondet ſanè contra ſuperbiam exaltationi humilitas, & pari curſu exaltatio humilitati : verùm ſumma creſcit in exaltationem, etiam habens ſummum culmen. Qua ergo via? Excogitavit Ethnicus : imitetur Religioſus. *Cui nihil ad attingendum faſtigium ſupereſt* (aſtruit Plinius Iunior in *Paneg. Traian.*) *hic uno modo creſcere poteſt, ſi ſe ſummittat ſecurus magnitudinis ſuæ.* Humilitas faſtigium attingit, cùm omnia ſuperſunt, & ſeſe ſummittit omnibus. Adhuc creſcere poteſt, dum eſt in ſummo. Verùm quomodo? Si eſt ſumma. Communis, omnibus ſe ſubdit : ideo exaltationem habet. Summa, etiam ſibi, & hoc magni : unde ſummum culmen habet, ubi ſibi magis ſeſe deprimit.

Bed. Pet. Ven.

Ingeniū humilitatis ſubtile.

Plin.

Qualis ſumma humilitas?

4 Cauſam perſpicuam, ac expoſitionem congruam auctoritatis Ieremiæ in medium ſtatuam. Quieſcet iuſtus ſolitarius, & tacebit, *Quia levavit ſuper ſe. Se levavit ſuper ſe*, plures cum Biblia Antiqua legunt: vide Rupertum, Rabanum, Lyranum, Hugonem hic. Petrum Damianum *Epiſt.* 130. Bernard. Serm. 1. in *Feſt. SS. Petri, & Pauli*, & denique Baſilium de *Laud. vitæ ſolitar.* Haud excogitari poteſt expreſsius exēplum, ut videat humilis humilitatis ſolium. Solium, & humilitatis; quippe gaudet honore magnitudinis, & magnitudine honoris : lucet etenim nonnunquàm ut dignitas dignitatis. Anima dum ſuper ſe habet humilitatem, omnium, & in omnibus concupiſcit ſubiectionem. Huic parvitati correſpondet magnitudo, & ſubiectionem reciprocat exaltatio. Unde cùm ex magna parva, & ex parva minor fit; ſe levat abiecta ſuper omnia, quia omnia ſubiecta elevavit ſuper ſe. Hoc eſt faſtigium, ſed non ſummum. Summa petit ſumma, & obtinet magis abiecta. Intende. Omnia ſubiecta ſunt pedibus, ubi ſubijcitur omnibus. Si ſe proculcat ſuper omnia, profectò rutilat ſuprà. Patet : illa eſt ſuper omnia : ſi ſeipſam ponat ſub ſe, amplius levabitur ſuper ſe. Magnitudo ſumma ſtat in eo, quòd ſuper omnia ſit : creſcere poteſt minimè, ubi nihil incrementi: quapropter ut creſcat ingenio, ubi non eſt magnitudo; maior, excelſior ſtat, quia levatur ſuper ſe. Hoc ſtudium abſconditur à ſuperbis, ſed revelatur parvulis.

Thr. 3. 28.

Humilitas in honore eſt dignitas dignitatis.

Super omnia, dum eſt ſub omnibus.

Maior eſt, quia minor: & amplioris magnitudinis, quia minoris.

5 Aſtipulatur Petrus Damianus ubi dudū. *In ſuperiora ſublimis erigitur.* Haud humilis in ſublimia, ſed ſublimis in ſuperiora. In ſublimi poteſt aſcendere ſuperiùs? Poteſt. *Fit anima etiam ſuper ſemetipſam : & dum ſub ſe conſpicit, exaltata comprehendit, quod comprehendere humiliata non poterat.* Hæc Gregorius Magn. lib. 2. *Dialog.* cap. 35. de quo Nos fusè *Tom. 2. Tautolog.* 1. Erigitur in ſublime humilitas, quando ſubijcitur anima cunctis. Reſtat adhuc ſummæ faſtigium humilitatis. Deſcenſus maior, erit maior aſcenſus. Extra ſe non excogitatur maior : & ſe ſibi ſubdit omnibus ſubdita; ut ſublimis erigatur in ſuperiora, ultrà quæ non datur ultrà.

P. Dam.

Gregor. Magn.

Dum ſe ſibi ſubdit anima, in humilitate non eſt ultrà.

Profert acumen ſtudij humilitatis teſtimonium. *Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia*

Ibid.

le-

levavit ſe ſuper ſe. Sedebit. Cur ergo? Quia ſe ſuper ſe levavit. Humilis, inquit, ut humilietur ampliùs; cogitat aſcenſurus, ubi deſcēſus. Subiectus omnibus, omnia ſubiecit : creſcet adhuc in ſublimitate, dum ſemetipſum etiam ſummittit ſibi:& denique ſedet; quia non eſt infrà, ubi iacet. In humilitate ſi non eſt infrà, non ſuprà : & humilis ſedet; quoniam minimè cogitantur ſuperiora. Quid ni habebit humilis, ſe ſibi ſummittendo, ſuperius ſolium; cùm nihil ſuperſit ad attingendum faſtigium?

Non aſcēdit ſuprà, quia non eſt infrà.

6 Iam ergo patet cauſa, cur Deus in commendationem mulieris, ipſam viri dānavit ſubiectionis. *Sub viri* (ait) *poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Comendatio eſt, & damnatio: etenim nihil magis decet mulieres, quàm iugum humilitatis, & cum illæ exaltentur, ubi non exaltantur; & ambulent in magnis, ubi mirabilibus non ambulant ſuper ſe; poteſtati viri ſuberunt, ut non ſint ſūb : ſiquidem magnitudinis inſigne, mulier cū humilitate. Nos dicimus ſeriò, & feſtive : *Una muger humilde es coſa grande.* Vide quantum. *Ex coſta, terra, & aëre circunſtante Deus* (inquit Alapide in Geneſ. 2. v. 21.) *mirabili artificio mulierem efformavit, ſicuti ex luto formavit Adamū.* Aëre nihil levius Exuitur indole quælibet fœmina, humilitate decora: quandoquidem ſingularem oſtentat excellentiam, dotem habere inſignem præter naturam: erit utique magna, ſi fuerit contra. Vide alia *Tautolog.* 4. *Didaſcal.* 8. *num.* 6. Ex aëre conflantur, unde citò moventur, & commoventur. Humilitas pondus eſt: aër autem non habet pondus, quapropter cum aëre nihil ſit levius, nil etiam humili fœmina mirabilius. Vividiùs proprio idiomate. *Es un milagro una muger de peſo.* Iccircò ut ſpectaculum fiat mundo, & hominibus, & angelis; fœminæ primæ datur pulchritudo ſubiectionis.

Gen 3. 16.

Nil magis decet mulieres quā iugum humilitatis

Corpus Evæ conflatum ex aere etiam. Alap. Geneſ. 2. 21.

Humilitas in fœmina valde pretioſa.

7 Humilitas aptè confertur circulis numerorum in Arithmetica, quia ex nihilo pendent omnia: ſiquidē quò magis circuli nihil ſignificantes addūtur, eò magis quātitates numericę creſcunt. Hàc enim ſcientià videtur ſūma magnitudinis in ſigno nihilitatis: verū reipſa humilitas congregat, quod numeris vacuis Arithmetica ſignat. Nihil circulus notat. Ex nihilo nihil fit errat Philoſophus in humilitatis ſcientifico ſtudio; quippequàm omnia computantur ex nihilo: quare vel pretioſę virtutes ſuper nihilū erūt fundatæ, vel erunt nihili. Unus humilis eſt: tot circulos unitati addit, quot actiones humilitatis exprimit: unde creſcit in ſummam magnitudinem, dum ſatagit magis tendere in nihilitatem. Actiones faſtus ſunt circuli ante numerum : cognitio voluntaria, qua ſibi quiſq; diſplicet, & vileſcit, eſt circulus poſt numerū : ſi ſemel, poſt unitatem : ſi denuò, poſt duitatem, & ita uſque in infinitum creſcet magnitudo: quare dum fit computatio, in ſumma ſuperbus unus eſt & infelix, humilis unus humilitate multiplex. Ille quia nihil ſuper illum fūdatur: humilis autem, quia fundatur in nihilo.

Cur circulis Arithmeticis confe ratur humilitas?

Creſcit in ſummam magnitudinem, ubi humilis magis ſatagit tēdere in nihilitatem.

8 Audi Evangelicum Prophetam, potentiam extollentem. *Extendit* (ait) *velut nihilum cœlos.* Quomodò extenditur nihil, ſi non entis nullo modo ſunt paſsiones? Notatur hìc excellentia humilitatis: igitur Dei eſt thronus, & animatum cœlum, deſpectu proprio qui redigitur ad nihilū. Pro *Nihilum* (legit Chryſoſtomus *libell.* de *Incomprehenſibili Dei natura*) *extendit ſicut pulverem cœlos.* Pulvis eſt ſignum abiectionis, cœlum eximiæ undecunq; pulchritudinis: & pulveri affines, cœli ſum in eximia humilitate; quoniam pulchritudinem prorsùs habent cœleſtem, qui pulchritudinem tantam devenuſtant uſque ad pulverem. Cęlum ſuprà eſt. Unde Ovidius lib. 2. *Metam. Fabul.* 1.

——— *Cœlumque, quod imminet orbi.*

Pulvis infrà: & ſicut cœlum, extenditur pulvis, qui iacet in terra; quippe qui humilitate deſcendūt uſque ad abyſſos, deſcendētes aſcendunt uſque ad cœlos. *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi.* Hoc eſt ſummum in humilitate : ſcilicèt, eſſe humilem, & neſcire. Hoc eſt ſcire: ignorare. Sed quid humilitate neſcivit? Tantam excellentiam ſervatam humilitati : ſiquidem elevatus eſt in cœlum; qui redactus fuit ad nihilum. Nihilum ergo hòc extendit, velut cœlos Deus, qui humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit, ideſt, non ignoſcit. Si nihilum extenditur, iam non nihil, ſed aliquid; & aliquid extendere, non eſt mirum : cæterùm pateſit in pectore humilis, quid valeat potentia incognita humilitatis : etenim dum illud aliquid (quod cœlum Deitatis) ad nihilum voluntariè comprimitur; magis ac magis extenditur. Rutilat humilis explicito corde mirabiliter exaltatus; ubi uti cœlum à cognata exaltatione receſſerat, quaſi liber involutus.

Iſai. 40. 22.

Humilis thronus Dei.

Chryſ.

Cœlum, & pulvis.

Ovid.

Suprà & infrà.

Pſalm. 72. 22.

Summū in humilitate eſt eſſe humilem, & neſcire.

Magis humilis ineleſcit, ubi uxoleſcit.

9 *Extendit cœlos* (nimirùm, *Animam iuſti*, ut aſſerit Gregor. Magnus *Homil.* 38. in *Evang.*) *velut nihilum.* Nihilum ſanè extenditur à Deo, quùm inter ipſum & iuſtum fit ſupputatio : nihilum abiectio propria iuſti, & ante ſeipſum; quia ſibi vileſcit, ut perveniat ad cœlum. Nihilum etiam ſigni-

Gregor. Mag.

Apud Deum nihilum humilitatis eſt principium numeri magnitudinis.

gnificat in Arithmetica circulum, qui numero poſtpoſitus facit numerum innumerum. Iuſtus humilis ſibi, nihilitatem ad nihilitatem addit: & Deus quantitatem virtutis ita extendit; ut quod nihilum erat in iuſti ſupputatione, faciat placidè pervenire ad cœlos uſque. Magni Deus habet hominum humilitatem, & minimi magnitudinem: quippe apud illum hoc nihilum non eſt nihilum, ſed nihilum magnum.

Pſalm. 38.6. *Qui ſibi nihilum, Deo cœlum.*

10 Aſtruit magnus David: *Subſtantia mea tanquàm nihilum ante te. Ante te*: appoſitè: ſiquidem quod ante te nihilum, extenditur uſque ad cœlum. Apud homines humilitas univerſa, vanitas; & apud te illorum magnitudo vanitas univerſa, quia non eſt ſubſtantia. Non ita nihilum apud homines maximi fit, ſicut nihilum ante te: qui pius, & iuſtus reſpiciens humilitatem; conſtruit nihili ex nihilo magnitudinem. Ideo ſubdit: *Subſtantia mea apud te eſt.* Deus in cœlo eſt: & ibi ſubſtantia humilis, quæ dicitur nihilum; quoniam Deus humilem iuſtè extollit uſque ad cœlum. *Licèt magni* (aiebat Sophoc. in *Antigon.* ex quo Horat.)

Verſ. 8.

——— *Pulvis & umbra ſumus.*

Sopho.

Ubi ad nihilum redigitur ad thronum trahitur.

Si in pulvere tantùm eſt umbra, corpus humilis erit neceſſario ſupra: quoniam ubi ad umbram corporis, ad ſubſtantiam pulveris magnitudinē redigit, Deus qui ſuprà in celſitudinem trahit. Claret aſcenſus etiam in ſumma numerorum, & circulorum, ad commendationem humilium. Circulus antepoſitus haud immutat numerorum quantitatē: poſtpoſitus ultra humanam cogitationem. Humilis ita ſe vilem agnoſcit etiam in propria virtute; ut circulum, qui nihil ſignificat, ponat ante. Deus calculos ita in ſumma invertit, dum humilis ad nihilum nihilum addit; ut videatur feliciter primus, qui iacebat ſui cogitatione poſtremus.

In cœlo eſt primus, qui humi iacebat extremus.

Luc. 14. 7.

11 Quamdam parabolam ſuperbis propoſuit Chriſtus; *ſed intendens* (ait Luc.) *quomodo primos accubitus eligerent.* Accubitus in domo aliena non eliguntur, ſed prolubito, vel dignitate diſpenſantur: quo pacto poterit eſſe convivis hic, aut illic accumbendi electio? Singularis ſanequàm propoſitio! Expoſitio ſingularior. Conſultè udeas. Quid faciendum, ut cupiti honoris concedatur electio? Dicit ſaxò: *Recumbe in noviſſimo loco.* Noviſſimus locus eſt primus accubitus? Utique. Primus qui primus; & extremus, qui extremus locus iudicatur apud homines: ſecùs verò uſuvenit in Arithmetica ſpecioſa humilitatis. Ordo incipit apud illos à primo: at cùm ab humilitate pervertatur hic ordo, ſedet ſuprà, qui iacebat inſrà. Palàm eſt, qua via erit locorum electio, in eo quòd pendet ex alieno placito. Locum humilem deſpiciunt omnes; verùm amplectitur humilis: unde eſt in propria electione, quia eſt in propria humilitate: etenim humilitas propria minimè oritur ex voluntate aliena. Hàc eundum, ut eligatur vel in mundo ſolium: igitur cùm ordo aſtutæ ſuperbiæ vertatur funditùs à contraria humilitate; inter convivas numeratur primus, qui pro electione ſubſidebat ultimus.

Ver. 10.

Qualis arithmetica humilitatis?

Numeratur ſuprà, qui ſupputabatur infrà.

Auguſt.

12 Roborat hanc mirificam humilitatis artem Auguſtini ſententia, dicentis in *Expoſit.* Pſalm. 121. *Fundamentum quando ponitur in terra, deſuper ædificantur parietes, quia in imo poſitum eſt fundamentum. Si autem fundamentum noſtrum in cœlo eſt, ad cœlum ædificentur.* Myſterijs ſuperſedeo horum verborum, quippè alibi latè ſuum locum habebunt; ubi videbimus humilitatis ingenioſsimē ſtudium fabricandi celſitudinem non in fundamento, ſed verſùs fundamentum. Fabricat ſanè quiſquis in ruinam celſitudinem molis, ſine fundamento inconcuſſæ humilitatis. Creſcet ſtructura præcipitio, & pro humilitate imminebit humiliatio: igitur qui virtutes ſine humilitate apprehendit, pulverem in ventum ſtolidiſsimè exponit. Ipſa rutilat forma virtutum, & rutilant eius formà.

Humilitas virtutum ſplendor.

Matth. 25. 4.

Virgines illæ quinque prudentes, ſeu ſpecioſæ virtutes, ut inferrentur cœleſtibus, *Acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.* Oleum hoc humilitas eſt: ait Gregor. Magnus Homil. 12. in *Evang.* Per lampades nitor ſignificatur, oleo lampadarum nitor fovetur: & oleum accipiunt virtutes ſpecioſæ virgines, Dominum in ſponſum expectantes; quia ni habeant nitidiſsimum oleum humilitatem, pulchræ virtutes non habebunt ſplendorem. Patet in fatuis: lumen viderunt extinctum; quia falſo fidentes, non ſumpſerunt oleum ſecum. Cognoſcant igitur ubi eſt forma, ut interveniat & gratia. Cognoſcant parvitatem, ſcrutantes magnitudinem. Vis aſcendere? Deſcende.

Pulcritudo virtutis pendet à ſpecioſitate humilitatis.

Quare aliquid dignum cognitione tua.

Ovid.

DIDASCALIA V.

Perfectionis nutrix obedientia perfecta.

Novar.

1 APophthegma eſt Novar. in *Umbra Virgin.* Excurſ. 116. *num.* 1089. Imus de virtute in virtutem, ut in

cœleſti Sion Dei videamus maieſtatem. De Humilitate fundamento virtutum, tranſitus fit ad nutricem perfectionum: ſiquidem prima linea in humilitatis forma eſt obedientia. Clareſcit ex huiuſmodi virtutum cognatione, expoſitio celebris antilogiæ Regulæ N. P. & Legiſlatoris Benedicti: *Primus humilitatis gradus eſt* (inquit *cap.* 5.) *obedientia ſine mora.* Subinde *cap.* 7. *grad.* 1. infit: *Primus humilitatis gradus eſt, ſi timorem Dei ante oculos ſemper ponens*, &c. Amor Dei eſt primus humilitatis gradus: etiam obedientia eſt primus; quippe ex amore Dei in humilis corde, pulchritudo oritur videntis cæcè obedientiæ. Nulla virtus perfectior, neque facilior; cæcis oculis apprehenditur. Profectò perfectio facilis, ubi ad illam venitur vel clauſis oculis.

Obedientia eſt prima linea imperfectionis forma.

S. Benedict.

Nulla virtus facilior.

Eſt igitur obedientia ſepulchrum voluntatis, abdicatio mentis, mors in vita voluntaria, vita felix ſine cura, cæcitas oculata, gubernaculum in navi; navigatio ſine diſcrimine, & ubi quieſcens ambulat, & dormiens properat: onus ſuave, iugum leve, pondus grave ſine pondere, vulnus philautiæ ſine vulnere, & dolor ſine dolore: expreſſio amoris placet, quia ſubeſt occaſio oſtentatione fidei: ac in nullo ſpeculo amplius micat ſignum amoris, quàm in actione obedientis.

Nec commodior.

Quid ſit.

2 Docet, qui operatus eſt ſalutem, factus obediens pro hominibus uſque ad mortem. Mors crucis imminebat; & cùm ſederet cum duodecim, dixit poſt cœnam. *Princeps huius mundi in me non habet quicquam* morti tradar, immanis morte: quippe nihil ut princeps facerem ultrà legem; ni legi communi dederem immunitatem. Mors inſtat, quia volui: *Sed ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem; & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio; ſurgite, eamus hinc.* O percepta, & imperceptibilis obedientia! Perfecit ſummoperè, de quo alius verbo gloriabatur imperitè:

Ioann. 14. 30.

Ceſſio immunitatis eſt ſummitas ſubiectionis.

v. 31.

——— *Pater adſum.*
Impera quid vis, neque tibi ero in mora,
neque latebroſè me abs tuo
Conſpectu occultabo.

Plaut.

Hæc apud Plautum in *Trinumm.* Act. 2. Scen. 2. Cæterùm expende Aſſertoris cauſam, ubi pro dilectis tradit pretioſam vitam. Præceptum inviolabile habet à Patre moriendi, quod ultrò adimplet, ut cognoſcat mundus, quia diligit patrem. Qui præcepta opere perficit, obedientiam demonſtrat; non dilectionem oſtentat. Amor eſt intimi cordis, extimè videtur obedientia perpeſſionis Crucis; & ſe Chriſtus in Patrem mundo manifeſtat amantem, dum voluntatē exhibet obedientem; quippe nunquàm magis erga præcipientem rutilat gratia, quàm in conformi voluntatis obedientia.

Probatio dilectionis eſt obedientia legis.

3 Fœminæ in cauſa à Iudice dicitur: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Abenezra: *Ad virum tuum obedientia tua*: Alij; *Concupiſcentia tua*; ideſt; amor tuus. Appoſitè. Haud amor erga virum in te ſervilis; ſed cordialis dilectionis; quaſi totum deſiderium amantis. Unde pro nimio amore, erit regula obedientiæ; quoniam in virum dominantem obedientia; tuæ fulgebit dilectionis nota. *Sub viri poteſtate eris*; ſit ſubiectio lapis lydius dilectionis: tibi ipſe tunc cominatur, ubi deſiderium tuum illius poteſtati ſubijcitur; quippe dominantis ſtrictiores leges erunt momenta ſtrictioris amoris. Modò iubeat blandè, modò dire; modò contrariè, modò iniurioſe, tacità patientià eris ſub mariti poteſtate; & adhuc dominabitur tui, imperando maiora, ut tua cordis reveletur obedientia: atque neceſſariò amor erga dominantem, dum acerbiorem contrariam præſcribit legem: etenim ſuperas tot genij difficultates, in exhibitionem dilectionis. Vide *cap.* 7. *Regul.* S. P. Benedicti; *Grad. humilit.* 4. qui ad unguem quadrat.

Gen. 3. 16.

Abenz.

Obedientia amoris ſpeculum.

Summitas huius virtutis in quo?

S. Benedict.

4 *Sub viri poteſtate eris*: in tua poteſtate furis; rectè graderis, ſi regeris: Sub eris, ut rectè ſis: ſiquidem non habens ſubiectionem, nec in virum habebis charitatem. Exitus comprobavit: ſemel tibi indulſit; & indulſiſſe, haud pœnitebit ſemel. Eris ſub illius poteſtate: eges regimine: non ultrà errabis errore: habes excuſationem obedientiæ. *Sub viri poteſtate, & ipſe* inſuper *dominabitur tui. Sub* actio ſubiectionis eſt ex parte fœminæ. *Poteſtas* eſt actio viri: & additur meditanter imperium dominationis poteſtati; quoniam in ſubiectionis, & dilectionis ſignum, non tantùm adimplebis præceptum, ſed etiam modum. Ideo ad virum *Deſiderium tuum*: uti leguntArias Montanus, & Pagninus. Deſiderium tuum non ad alium, niſi ad virum: cui ut præbeas exactiſsimè ſtudium; prævenies obedientià deſiderium: tuumque deſiderium dicitur, ubi illius tua coniectura adimpletur; quippe voto potiris; cùm occurrit occaſio dilectionis: ſiquidem dilectionis inſigne, & ſpecioſæ obedientiæ; quòd votum imperantis operibus ſit perfectum, antequàm verbis innoteſcat prolatum. Ita ad virum *Impetus tuus*; uti vertit Symmachus. Ideſt obedientia cæca ſine curioſitate, *Cur præcipiatur? cur non? cur tibi? cur non alij?* quæ ſunt obedientiæ nævi

Prodeſt ſubdito regi.

Obſerva imperantis modum.

Ar. Mon. Sanctes Pagn.

Præveniat deſiderium.

Sym.

Sine curioſitate intrepidè.